



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Ivlii Capitolini M. Antoninvs Philosophvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

quæ gessit, & in senatu & p̄ edicta rationē reddidit. Perijt anno septuagesimo: sed quasi adolescēs desyderatus est. Mors autem eius talis fuisse narratur. Cū Alpinum caseum in cœna edisset Auidius, nocte reiectauit, atq; alia die febre commotus est. Tertia die cum se grauari uideret, M. Antonino remp. & filiam præsentibus præfectis cōmendauit: fortunamq; aureā quæ in cubiculo principum poni solebat, transferri ad eū iussit, signum tribuno æquanimitatis dedit, atq; ita conuersus quasi dormiret, spiritū reddidit. Apud Lorium alienatus in febrī, nihil aliud quàm de rep. & de his regibus quibus irascebatur, locusus est. Priuatum patrimoniū filiaē reliquit. Testamento autē omnes suos legatis idoneis prosecutus est. Fuit statura eleuata decorus. Sed cum esset longus & senex, incuruareturq; Tiliatij tabulis in pectore positis fasciatur, ut rectus incederet. Senex etiā anteq; salutatores uenirent, panē siccum comedit ad sustentandas uires. Fuit uoce rauca & sonora. Cum iucunditate à senatu diuus est appellatus, cunctis certatim admittentibus, cum omnes eius pietatē, clemētiā, ingenium, sanctimoniam laudaret. decreti etiā sunt omnes honores, qui optimis principibus ante delati sunt. Meruit & Flaminē & Circenses & templum & Sodales Antonianos: solusq; omnium propè principum prorsus sine ciuili sanguine & hostili, quātum ad seipsum pertinet, uixit: et qui rite comparetur Numæ, cuius felicitatem, pietatemq; & securitatem, cerimoniasq; semper obtinuit.

I V L I I C A P I T O L I N I

M. ANTONINVS PHILOSOPHVS. ♀



MARCO Antonino in omni uita philosophanti uiro, & qui sanctitate uitæ omnibus principibus antecellit, pater Annius Verus, q̄ in pratura decessit. Auus Annius Verus, iterum cōsul & præfectus urbi, adscitus in patricios à principibus Vespasiano & Tito cœsoribus. Patruus Annius Libo consul. Amica Galleria Faustina Augusta: mater Domitia Caluilla, Caluisti Tulli bis consulis filia. Proauus paternus Annus Verus prætorius ex Succubitano municipio, ex

Hispania factus senator. Proauus maternus Catillius Seuerus, bis cōsul & præfectus urbi, Auia paterna Rupilia Faustina, Rupiliij Boni cōsularis filia, fuere. Natus est Marcus Romæ, sexto Calendas Maias in mōte Celio in hortis, auo suo iterū & Augure cōsulib⁹. Cuius familia in originē recurrēs, à Numa probat sanguinē trahere, ut Mari⁹ Maxim⁹ docet. Itē à rege Salētino Malēnio Dasūmi filio, q̄ Lopias cōdidit. Educat⁹ est in eo loco in q̄ nat⁹ est, & in domo auī sui Veri iuxta ædes Laterani. Habuit & uxorē natu minorē Annia Cornificiam, Uxorē Annia Faustina cōsobrina suā. M. Antoninus principio auī sui nomē habuit, & Catilij

Trahere sanguinē, p̄ du cere genus.

Literator,
qui docet
prima ele-
menta.

Plutarchus
Cheronensis.

Afficeret, p
affligeret.

Exaugurare

Catilij Seueri materni proau. Post excessum uero patris ab Hadriano Annus Verissimus uocatus est. Post uirilem autem togam, Annus Verus patre mortuo, ab auo paterno adoptatus est & educatus. Fuit à prima infantia grauis. At ubi egressus est annos, qui nutricum fouent^r auxilio, magnis præceptoribus traditus, ad philosophiæ scita peruenit. Vfus est magistris ad prima elementa Euphorione literatore, & Gemino Comædo, Musico Androne, eodēq; Geometra. Quibus omnibus ut disciplinarū autoribus plurimū detulit. Vfus præterea Grammaticis Græco Alexādro, quotidianis latinis Trofio, Apro, & Pollione, & Eutychio Proculo Siccensi. Oratorib⁹ usus est Græco Aninio, Macro, Caninio, Celere & Herode, Attio, Collatino, Frontone, Cornelio. Sed multū ex his Frontoni detulit: cui & statuam in senatu petijt. Proculum uero usq; ad proconsulatū prouexit. Honoribus in se receptis, philosophiæ operam uehementer dedit, & quidem adhuc puer. Nam duodecimū annum ingressus, habitū philosophi sumpsit: & deinceps tolerantiam, cum studeret in pallio, & humi cubaret, uix autē matre agente, instrato pellibus lectulo accubaret. Vfus est etiā Commodo magistro, cuius ei affinitas fuerat destinata. Vfus est & Apollonio Calcedonio Stoico philosopho. Tantum autē studium in eo philosophiæ fuit, ut adscitus iam in imperatoriam dignitatē, tamen ad domum Apollonij discendi causa ueniret. Audiuit & Sextum Cheronensem Plutarchi nepotem, Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum, Stoicos. Peripateticæ uero studiosos audiuit Claudium Seuerū & præcipue Iunium Rusticum, quē & reueritus est & sectatus: qui domi militiæq; pollebat, Stoicæ disciplinæ peritissimum, cum quo omnia communicauit publica, priuataq; consilia. Cui etiam ante præfectos prætorio semp osculum dedit: quē & cōsulem iterū designauit, Cui post obitū à senatu statuas postulauit. Tantū autē honoris magistris suis detulit, ut imagines eorū aureas in arario haberet, ac sepulchra eorū aditu, hostijs, florib⁹ semper ornaret. Studuit & iuri, audiēs Luciū Volusium Metianū: tantūq; operis & laboris studijs impendit, ut corpus afficeret: atq; in hoc solo puericia eius reprehenderetur. Frequentauit & declamatorū scholas publicas, Amauitq; ex cōdiscipulis præcipuos senatorij ordinis Scium Fuscianū & Aufidium Victorinū, ex equestri Bebiū Longū & Callenū, in quos maxime liberalis fuit: & ita quidem, ut quos nō posset ob qualitatem uitæ reip. præponere, locupletatos teneret. Educatus est in Hadriani gremio, qui illum, ut supra diximus, Verissimum nominabat: & qui ei honore, & qui publicis xenijs detulit. Octauo ætatis anno in Saliōrū collegium retulit. In Saliatu omen accepit imperij, coronas om̄ibus in puluinar ex more iacentibus, aliæ alijs locis hæserunt, huius uelut manu, capiti Martis aptata est. Fuit in eo sacerdotio & præsul & uates & magister, & multos inaugurauit atq; exaugurauit, nemine præeunte, qd' ipse carmina cuncta didicisset. Virilem togam sumpsit quintodecimo ætatis anno, statimq; ei L. Ceionij Commodi filia desponsata est ex Hadriani uoluntate. Nec multo post præfectus feriarū Latinarū fuit. In quo honore præclarissime se pro magistratibus agentē, & in conuiujs Hadriani principis ostendit.

Post

Post hoc patrimonium paternum forori totum cōcessit, cum eum ad diuisionē mater uocaret, responditq; aui bonis se esse contentū: addens, ut & mater si uellet, in sororem suum patrimonium conferret, ne inferior esset foror marito. Fuit autē ea uitæ indulgentia, ut cogere nonnunq; uel in uenationes pergere, uel in theatrum descendere, uel spectaculis interesse. Operam præterea pingendo sub magistro Diogeneto dedit. Amauit pugilantium luctamina, & curlum & aucupatus, & pila lusit apprime, & uenatus est. Sed ab omnibus his intentionis studium eum philosophiæ abduxit, seriumq; & grauem reddidit: non tamen prorsus abolita in eo comitate, quā præcipue suis mox amicis atq; etiam minus notis exhibebat: cum frugi esset sine contumacia, uerecundus sine ignauia, sine tristitia grauis. His ita se habentibus, cum post obitum L. Cæsaris, Hadrianus successorem imperij quæreret: nec idoneus, utpote decem & octo annos agens, Marcus haberet, Amitæ Marcî uirum Antoninū Pium, Hadrianus ea lege in adoptionem legit: ut sibi Marcum Pius adoptaret: ita tamen, ut & Marcus sibi Lucium Cōmodū adoptaret. Sanè ea die qua adoptatus est, Verus in somnis se humeros eburneos habere uidit: sciscitatusq; an apti essent oneri ferundo, solito repperit fortiores. Vbi autem comperit se ab Hadriano adoptatū, magis est deterritus q̄ lætatus. Iussusq; Hadriani priuatā domū migrare, inuitus de maternis hortis recessit. Cumq; ab eo domestici quærerēt, cur tristis in adoptionem regiam transiret, disputauit, quæ mala in se cōtineret imperium. Tunc primum pro Annio Aurelius cœpit uocari, quod in Aureliani, hoc est, Antonini adoptionis iura transisset. Octauo decimo ergo ætatis anno adoptatus, in secundo cōsultatu Antonini iam patris sui, Hadriano ferente, gratia ætatis facta, quæstor est designatus. Adoptatus in aulicam domū, omnibus parētibus suis tantam reuerentiam, quantā priuatus exhibuit, Eratq; haud secus rei suæ, quā in priuata domo parcus ac diligens, pro instituto patris uolens agere, dicere, cogitare. Hadriano Baijs absumpto, cum Pius ad uehendas eius reliquias esset profectus, relictus Romæ, auo busta impleuit. Et gladiatorum quasi priuatus quæstor ædidit munus. Post excessum Hadriani statim Pius per uxorem suam Marcum sciscitatus est: & cum dissolutis sponsalibus, quæ cum L. Ceionij Comodi filia desponderi uoluerat, impar adhuc ætati esset, habita deliberatione, cogitare uelle se dixit. His ita gestis, adhuc quæstorem & consulem secum Pius Marcum designauit, & Cæsaris appellatione donauit: & Seuerū turmis equitum Romanorum iam consulem designatum creauit, Et edenti cum collegijs ludos Seuirales adsedit: & in Tiberinam domum transgredi iussit, & aulico fastigio renitentem ornauit: & in collegia sacerdotum iubente senatu recepit: secundum etiam consulem designauit, cum ipse quartum pariter inierit. Per eadem tempora cum tantis honoribus occuparetur: & cum formandus ad regendum status reipub. patris actibus interesset, studia cupidissime frequentauit. Post hæc Faustina duxit uxorem, & suscepta filia, Tribunicia potestate donatus est: atque imperio extra urbem proconsulari addito, iure quintæ relationis: tantumq; apud Pium ualuit, ut nunq; quenq; sine eo facile promouerit.

Erat

Dedit operā
pingendo,
noue dixit.

Mitra ἐν οὐρ
τιώσις.

Migrare do-
mum priua-
tam.

Gratia æta-
tis, pro eo q̄
dicimus,
dispensatio.

Fortasse,
iusta, le-
gendū.

Impleuit, p̄
præstitit, aut
exoluit.
Sciscitatus
est Marcū, p̄
e Marco.

Erat autē in summis obsequiis patris Marcus, quibus non desissent, qui aliqua ad-
 Insufurrare. uersum cum insufurraret: & præ cæteris Valerius Homullus: qui cum Lucillam
 matrē Marci in uiridario uenerantē simulacrū Apollinis uidisset, insufurrauit:
 illa nunc rogat, ut diem tuum claudas, & filius imperet, quod omnino apud Pium
 nihil ualuit. Tanta erat Marci probitas, & tanta in imperatorio principatu mo-
 destia: æstimationis autem tantam curam habuit, ut & procuratores suos puer
 semper moneret, ne quid arrogantius facerent, & hæreditates delatas, reddens
 proximis aliquando respuerit. Denique per uiginti & tres annos in domo patris
 ita uersatus, ut eius quotidie amor cresceret: nec præter duas noctes per tot an-
 nos ab eo mansit diuersis uicibus. Ob hoc Antoninus Pius cum sibi adesse fi-
 nem uitæ uideret, uocatis amicis & præfectis, ut successorē eum imperij omni-
 bus cōmendauit atque firmauit: statimque signo æquanimitatis tribuno dato, for-
 tunam auream, quæ in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum transire iussit.
 Bonorum maternorū partem Muninio Quadrato sororis filio: quia illa iam
 mortua erat, tradidit. Post excessum diui Pij à senatu coactus regimē publicum
 capere, fratrem sibi participem in imperio designauit: quem L. Aurelium Verum
 Commodum appellauit, Cæsaremque atque Augustum dixit, atque ex eo pariter
 Duo Augu- /
 sti primum. ceperunt remp. regere. Tuncque primum Romanū imperium, duos Augustos
 habere cepit licetum cum alio participasset. Antoninū mox ipse nomē recepit:
 & quasi pater L. Commodi esset, & Verum eum appellauit, addito Antonino
 nomine: filiamque suam Lucillam fratri despondit. Ob hanc coniunctionē puer
 ros & puellas nouorū hominū, frumentariæ præceptioni ascribi præceperunt.
 Actis igitur quæ agenda fuerant in senatu, pariter castra pratoria petiuerūt: &
 Participatū, /
 pro commu- /
 nicatum. uicena milia nummūm singulis ob participatum imperium militibus promise-
 runt, & cæteris pro rata. Hadriani autem sepulchro corpus patris intulerūt, ma-
 gnifico exequiarū officio: mox iustitio secuto, publice quoque funeris expeditus
 Rata, p cer- /
 ta portione. est ordo. Et laudauere uterque pro rostris patrē, Flaminēque ei ex affinibus, & So-
 Sodales, qua- /
 les nūc Mo- /
 nachii aut /
 Canonici. dales ex amicissimis, Aurelianos creauere. Adepti imperiū, ita ciuilitate se ambo
 egerunt, ut lenitatē Pij, nemo desyderaret: cum eos Marullus sui temporis mi-
 mographus cauillando impune perstringeret. Funebre munus patri dederunt.
 Dabat se Marcus totum & philosophiæ, amorē ciuium affectans. Sed interpel-
 lauit istā felicitatē, securitatēque Imperatoris, prima Tyberis inundatio, quæ sub
 illis grauissima fuit: quæ res & multa urbis ædificia uexauit, & plurimū anima-
 lium interemit, & famē grauissimā peperit. Quæ omnia mala Marcus & Verus
 sua cura & præsentia tēperauit. Fuit eo tēpore etiā Parthicū bellum, quod Volo-
 gessus paratū sub Pio, Marci & Veri tēpore indixit, fugato Atiodio Cornelia-
 no, qui Syriam tunc administrabat. Imminebat etiam Britannicum bellum, &
 Gathii, als /
 Gathii. Gathii in Germaniam ac Rhetiam irruerant: & aduersus Britannos quidem
 Calphurnus Agricola missus est: cōtra Gathos Aufidius Victorinus. Ad Par-
 thicum uero bellum senatu cōsentiēte, Verus frater eius missus est. Ipse Romæ
 remansit, quod res urbanæ, Imperatoris præsentiam postularent. Et Verum
 quidem Marcus Capuam usque profecutus, amicis comitantibus è senatu
 ornauit,

ornauit: additis officiorum omnium principibus. Sed cum Romã redisset Marcus: cognouissetq; Verum apud Canusium ægrotare: ad eum uidentum contendit. susceptis in senatu uotis: quæ postea c̄p̄ Romam redijt audita Veri trãmissione statim reddidit. Et Verus quidem postea quàm in Syriã uenit, in delitijs apud Antiochiam & Daphnen uixit, armisq; se gladiatorijs & uenatibus exercuit: cum per legatos bellum Parthicum gerēs, imperator appellatus esset: cum Marcus horis omnibus reip. actibus incubaret: patienterq; delicias fratris & propè inuitus ac nolens ferret. Deniq; omnia quæ ad bellum erāt necessaria, Romæ positus & disposuit Marcus & ordinauit. Gestæ sunt res in Armenia prospere per Statium Priscum Artaxatis captis, Delatumq; Armeniacum nomen utriq; principum. Quod Marcus per uerecūdiam primo recusauit, postea tamen recepit. Profligato autem bello, uterq; Parthicus appellatus est. Sed hoc quoq; Marcus delatum nomen repudiauit, quod postea recepit. Patris patriæ autem nomē delatum fratre absente, in eiusdem præsentiam distulit: medio belli tempore & ciuicam patrum Veri & filiam suam nupturam: commissam fororis suæ, eãdem locupletatam, Brundisium usq; deduxit. Ad eum misit Romã, statimq; redijt reuocatus eorum sermonibus: qui dicebant Marcum uelle finiti belli gloriam sibimet uendicare, atq; iccirco in Syriam proficisci. Ad proconsulē scribit, ne quis filia: suæ iter facienti occurreret. Inter hæc liberales causas ita minuit, ut primus iuberet apud præfectos ararij Saturni unumquenq; ciuium natos liberos profiteri, intra tertium diem nomine imposito per prouinciã. Tabulariorum publicorum usum instituit, Apud quos idē de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ararij: ut si forte aliquis in prouincia natus, causam liberalem diceret: testationes inde ferret: atq; hanc totam legem de assertionibus firmauit: aliasq; de mensarijs & auctioribus tulit. Senatui multis cognitionibus, & maxime ad se pertinētibus, iudicem dedit. De statu etiam defunctorum intra quinquēniū quæri iussit: neq; quisquam principum amplius senatui distulit. In senatus autem honorificentiam, multis prætorijs & consularibus priuatis decidenda negocia delegauit: quo magis eorum cum exercitio iuris auctoritas cresceret. Multos ex amicis in senatum allegit cum ædilitijs aut prætorijs dignitatibus: multis senatoribus uel pauperibus sine crimine, dignitates tribunicias edilitiasq; concessit: nec quenquam in ordinem legit, nisi quem ipse bene scisset. Hoc quoq; senatoribus distulit: ut quoties de eorum capite esset iudicandū: secreto pertractaret atq; ita in publicū prodiret: nec pateretur equites Romanos talibus interesse causis. Semper autem cum potuit, interfuit senatui: etiam si nihil esset referendum, si Romæ fuit. Si uero aliquid referre uoluit: etiam de Campania ipse uenit. Comitijs præterea etiam usq; ad noctem frequenter interfuit: neq; unquam recessit de curia, nisi consul dixisset, nihil uos moramur patres conscripti. Sin autem, appellationibus à consule factis, iudicem dedit. Iudiciariæ rei singularem diligentiam adhibuit. Fastis, dies iudiciarios addidit: ita, ut ducentos triginta dies annuos, rebus agēdis, litibusq; disceptandis constitueret. Prætores tutelare primus fecit: cum ante tutores à consulibus poscerentur: ut diligentius

Sin autē, p
sin minus.

t ut diligentius

Regium.

ut diligentius de tutoribus tractaretur. De curatoribus uero, cum ante non nisi ex lege Lectoria uel propter lasciuiam, uel propter demetiam daretur: ita statuit, ut omnes adulti curatores acciperent non redditis causis. Cauti & sumptibus publicis & calumnijs quadruplatorum intercessit, apposita falsis delatoribus nota. Delationes quibus fiscus aueretur, contempsit. De alimentis publicis multa prudenter inuenit. Curatores multis ciuitatibus, quo latius senatorias tendet dignitates, a senatu dedit. Italicis ciuitatibus, famis tempore frumentum ex urbe donauit: omnibus frumentariae rei consuluit. Gladiatoria spectacula, omnifariam temperauit. Temperauit autem scaenicas donationes, iubens ut quinos aureos scaenici acciperent: ita tamen ut nullus editor decem aureos egrederetur. Vias etiam urbis atque iterum diligentissime curauit. Rei frumentariae grauius prouidit. Datis iuridicis Italiae consuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus consulares uiros reddere iura praeeperat. Hispanijs exhaustis Italica allectioe, contra Traiani praepcepta, uerecunde consuluit. Leges etiam addidit de uicesima haereditatum, de tutelis liberorum, de bonis maternis, & item de filiorum successio nibus pro parte materna: utque senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent. Dedit praeterea curatoribus regionum ac uiarum potestatem, ut uel punirent, uel ad praefectum urbi puniendos remitterent eos, qui ultra uestigalia quicquam ab aliquo exegissent. Ius autem magis uetus restituit, quam nouum fecit. Habuit secum praefectos, quorum & autoritate & periculo semper iura dictauit. Vnus autem est Sceuola praecipue iuris perito. Cum populo autem non aliter egit, quam est actum sub ciuitate libera. Fuitque per omnia moderatissimus in hominibus deterrendis a malo. Inuitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis, fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos: moderate etiam cauillationes nonnullorum ferens. Nam cum quendam Veterasinum famae detestandae honorem petentem moneret: ut se ab opinionibus populi uendicaret: & ille contra respondisset, multos qui secum in arena pugnasent se praetores uidere, patienter tulit, Ac ne in quenquam facile uindicaret, praetorem quoque dum pessime gerit, non abdicare se praetura iussit: sed collegae iurisdictionem mandauit. Fisco in causis compendij nunquam iudicans fauit: sane quamuis esset constans, erat etiam uerecundus. Posteaquam autem a Syria uictor redijt frater, patris patriae nomen amobus decretum est: cum se Marcus absente Vero erga omnes senatores atque homines moderatissime gessisset. Corona praeterea ciuica oblata est amobus: petijtque L. ut secum Marcus triumpharet. Petijt praeterea L. ut filij Marci Caesares appellarentur. Sed Marcus tanta fuit moderatione, ut cum simul triumphasset, tamen post mortem, Lucium tantum Germanicum se uocaret, quod sibi bello proprio pepererat. In triumpho autem liberos Marci utriusque sexus secum uexerunt: ita tamen, ut & puellas uirgines ueherent. Ludos etiam ob triumphum decretos spectauerunt habitu triumphali. Inter caetera pietatis eius haec quoque moderatio praedicanda est, Cunabulis post puerorum lapsum culcitrae subijci iussit. Vnde hoc dieque rete praetenditur. Dum Parthicum bellum geritur, natum est Marcomanicum, quod diu eorum qui aderant arte suspensum est, ut finito iam orientali bello Marcomanicum

comanicum agi posset. Et cū famis tempore populo insinuasset de bello, fratre <sup>Insinuare, p
significare.</sup> post quinquennium reuerso, in senatu egit, ambos necessarios dicēs bello Ger-
manico imperatores. Tanta autē timor belli Marcomanici fuit, ut undiq; sacer-
dotes Antoninus acciuerit: peregrinos ritus impleuerit, Romā omni genere lu- ^{Implere rit.}
strauerit, Retardatusq; bellica profectioe, sic celebrauit & Romano ritu lecti-
sternia per septē dies. Tanta autē pestilentia fuit: ut uehiculis cadauera sint ex-
portata ferraciq;. Tunc autē Antonini leges sepeliendi, sepulchrorumq; asperri-
ma sanxerunt: quandoquidē cauerunt: ut si quis uellet, fabricaret sepulchrum:
quod hodiēq; seruatur. Et multa quidē milia pestilentia cōsumpsit, multosq; ex
proceribus: quorum amplissimis, Antoninus statuas collocauit. Tantaq; demē-
tia fuit: ut & sumptu publico, uulgaria funera iuberet ex eo fieri: & uano cuidā
qui diripiendā urbis occasionē cū quibusdam conscijs requirens, de Caprifici ar-
bore in campo Martio concionabundus, ignē de cælo lapsurum, finemq; mūdi
affore diceret, si ipse lapsus ex arbore in ciconiam uerteretur: cum statuto tem-
pore decidisset, atq; ex sinu ciconiam emisisset, perducto ad se atq; confesso, ue-
niam daret. Profecti tamē sunt paludati ambo imperatores, Parthis & Marco-
mannis cuncta turbantibus alijs etiā gentibus, quæ pulsæ à superioribus Barba-
ris fugerant: nisi reciprentur bellum inferentibus. Nec parū profuit ista profe-
ctio cum Aquileiam usq; uenissent. Nā pleriq; reges & cū populis suis se retra-
xerunt, & tumultus auctores interemerunt. Quadi autē amisso rege suo, nō pri-
us se confirmaturos eum qui erat creatus, dicebāt, quā id nostris placuisset im-
peratoribus. Lucius tamen inuitus profectus est: cum pleriq; ad legatos impe-
ratorum mitterent, defectionis ueniam postulantes. Et Lucius quidē quod ad-
missus esset præfectus pratorio, Furius Victorinus, ut quæ pars exercitus inter-
isset: redeundum esse censebant. Marcus autē fingere Barbaros existimās, & fu-
gam & cætera quæ securitatem bellicā ostenderent: ob hoc ne tanti apparatus
mole premeretur, instandum esse dicebat. Deniq; transcensis alpibus longius
processerunt, composueruntq; omnia, quæ ad munimen Italix atq; Illyrici per-
tinebant. Placuit autem urgente Lucio: ut præmissis ad senatum literis, Lucius
Romā rediret. Via quoq; posteaquā iter ingressi sunt, sedēs cum fratre in ue-
hiculo Lucius, apoplexi arreptus, periit. Fuit autem cōsuetudo Marco, ut in Cir-
censiū spectaculo legeret, audiretq;, ac subscriberet. Ex quo quidē saepe iocis po-
pularibus dicitur laceffitus. Multum sanè potuerūt liberti sub Marco & Verō,
Geminas & Agacitus. Tantæ autē sanctitatis fuit Marcus: ut Veri uitia & cæ-
lauerit, & defenderit: cum ei uehementissime displicerent: mortuumq; eū Diuū
appellauerit, Amitasq; eius & sorores, honoribus & salarijs decretis, subleuaue-
rit, atq; prouexerit, sacrisq; eum plurimis honorauerit: flaminē & Antonianos
sodales & omnes honores, qui diuis habentur, eidē dedicauit. Nemo est princī <sup>Sodales, col
legiatici.</sup>
pum quē non grauis fama perstringat, usq; adeo, ut etiā Marcus in sermonē ue-
nerit: quod Verum uel ueneno ita tulerit, ut parte cultri ueneno lita, uuluā inci-
derit, uenenatā partē fratri edendam propinans, & sibi innoxia referuās, uel cer-
te per medicū Posidippū, qui ei sanguinē intempestiue dicitur emisisse, Cassius

post mortem Veri à Marco desciuit. Nam in suos tanta fuit benignitate Marcus, ut cum in omnes propinquos cuncta bonorum ornamenta contulerit, tum in filium & Commodū quidem scelestum atq; impurū, cito nomen Cæsaris & mox sacerdotium, statimq; nomē imperatoris ac triumphī participationem & consulatum, Quo quidem tempore sine imperatoris filio ad triumphalem currum in circo pedes cucurrit. Post Veri obitum, Marcus Antoninus solus tempore tenuit, multo melior & feracior ad uirtutes: quippe qui nullis Veri iam impediret, aut simulatis callidæ seueritatis, quo ille ingenito uitio laborabat, erroribus: aut his quibus præcipue displicebat. M. Antonino iā inde à primo ætatis suæ tempore, uel institutis mentis prauæ, uel moribus. Erat enim ipse tantæ tranquillitatis, ut uultū nūq; mutauerit mœrore uel gaudio, philosophiæ deditus Stoicæ, quam & per optimos quosq; magistros acceperat, & undiq; ipse collegerat. Nam & Hadrianus hunc eundem successorē parauerat: nisi & ætas puerilis obstitisset. Quod quidem apparet ex eo, quod genitum Pio hunc eundē delegit, ut ad eum dignum utpote uirum quancūq; Romānū perueniret imperiū. Ergo prouincias post hæc ingenti moderatione ac benignitate tractauit. Contra Germanos res feliciter gessit. Speciale ipse bellum Marcomanicū, sed quāta nulla unq; memoria fuit, tum uirtute, tum etiam felicitate transegit. Et eo quidem tempore, quo pestilentia grauis, multa milia & popularium & militum interierat. Pannonias ergo Marcomannis, Sarmatis, Vuandalis, simul etiam Quadis extinctis, seruitio liberauit: & Romæ cum Cōmodo, quem iā Cæsarem fecerat, filio ut diximus suo, triumphauit. Cū autem ad hoc bellum omne ærariū exhausisset suum, neq; in animū induceret, ut extra ordinem prouincialibus aliquid imperaret: in foro diui Traiani auctiōnem ornamentorum imperialium fecit, uendiditq; aurea pocula & Crystallina & Myrina, Vasa etiam regia & uetustem uxoriā, sericā & auratā, gemmasq; etiam quas multas in repostorio sanctiore Hadriani reppererat: & per duos quidē menses hæc uenditio celebrata est: tantūq; auri redactum, ut reliquias belli Marcomanicī ex sententia persecutus, postea dederit potestati emptoribus, ut si quis uellet, empta redderet, atq; aurum recipere sciret, liceret. Nec molestus ulli fuit: qui uel nō reddidit empta, uel reddidit. Tunc uiris claris permisit, ut eodē cultu, quo & ipse uel ministris similibus conuiuia exhiberent. In munere autem publico tam magnanimus fuit, ut centū Leones una missione simul exhiberet & sagittis interfectos. Cū igitur in amore omniū imperasset, atq; ab alijs modo frater, modo pater, modo filius, ut cuius ætas sinebat, & diceretur & amaretur, Octauo decimo anno imperij sui, sexagesimo & primo uitæ, diem ultimū clausit. Tantusque illius amor eo die regij funeris daruit, ut nemo illum plangendū censuerit: certis omnibus quod ab alijs comodatus, ad deos redisset. Deniq; priusq; funus condere-tur, ut pleriq; dicunt, quod nunq; antea factum fuerat neq; postea, senatus populusq; non diuisis locis, sed in una sede propiciū deum dixit. Hic sanè uir tātus & talis, ac dijs uita & morte cōiunctus, filium Cōmodum dereliquit: qui si felix fuisset, filium nō reliquisset. Et parū sanè fuit, quod illi honores diuinos omnis

ætas

ætas, omnis sexus, omnis conditio ac dignitas dedit: nisi quod etiã sacrilegus iudicatus est. qui eius imaginem in sua domo non habuit, qui per fortunã uel potuit habere uel debuit. Deniq; hodiẽque in multis domibus M. Antonini statuarum consistunt inter deos penates: nec defuerunt homines, qui somnijs eũ multa prædixisse, augurantes futura & uera concinuerunt. Vnde etiam templum ei constructum, dati sacerdotes Antoniani & Sodales & Flamines, & omnia quæ Sodales,
 de sacratis decreuit antiquitas. Aiunt quidam, quod uerisimile uideatur, Commodum Antoninum successore illius ac filium non esse de eo natum, sed de adulterio: ac talem fabellam uulgari sermone contexit. Faustina quondam Pij filiam, Marci uxorem, cum gladiatores transire uidisset: unius ex his amore succensam, cum longa ægritudine laboraret, uiro de amore cõfessam. Quod cum ad Chaldæos Marcus retulisset, illorum fuisse consilium, ut occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina subleuaret, atq; ita cum uiro concumberet. Quod cum esset factum, solum quidem amorem, natum uero Commodum gladiatorẽ esse non principem: qui mille propè pugnas publice populo inspectante gladiatoris imperator exhibuit: ut in uita eius docebitur. Quod quidẽ uerisimile ex eo habetur: quod tam sancti principis filius his moribus fuit, quibus nullus lanista, nullus scænicus, nullus harenarius, nullus postremo ex omnium dedecorũ ac scelerum colluuiõne concretus. Multi autem ferunt Commodum omnino ex adulterio natum: siquidem Faustina satis cõstat, apud Caietam conditiones sibi & nauticas & gladiatorias elegisse: de quo cum diceretur Antonino Marco, ut eam repudiaret, si non occideret, dixisse fertur, Si uxorem dimittimus, redamus & dotem: Dos autem quid habebatur, nisi imperium quod ille ab socio uolente Hadriano adoptatus acceperat. Tantum sanè ualet boni principis uita, sanctitas, tranquillitas, pietas: ut eius famam nullius proximi decoloret inuidia. Deniq; Antonino cum suos mores semper teneret, neq; alicuius insurrectione mutaretur: non obfuit gladiator filius, uxor infamis: deus usq; etiã nũc habetur, ut uobis ipsi sacratissime imperator Diocetiane, & semper uisum est & uidetur: qui eum inter numina uestra, nõ ut ceteros, sed specialiter ueneramini, ac sæpe dicitis uos uita & clemẽtia tales esse cupere, qualis fuit Marcus, etiã si philosophia nec Plato esse possit, si reueratori uita: & quidẽ hæc breuiter & congeste. Sed M. Antonino hæc sunt gesta. Post fratrem primũ corpus eius Romã deuectũ est: & illatum maiorum sepulchris, diuini honores decreti. Deinde cum gratias ageret senatui quod fratrem consecrasset, occulte ostendit omnia bellica consilia sua fuisse, quibus superati sunt Parthi. Addidit præterea quædam, quibus ostendit nũc demum se quasi à principio acturum esse rempub. amoto eo qui remissior uidebatur. Nec aliter senatus accepit, quàm Marcus dixerat: ut uideretur gratias agere, quod Verus excessisset uita. Omnibus deinde sororibus & affinibus & libertis, iuris & honoris & pecuniæ plurimum detulit. Erat enim famæ suæ curiosissimus, requirens ad uerum quid quisq; de se diceret, emendã Ad uerum,
 quæ bene reprehensa uiderentur. Proficiscens ad bellum Germanicum, filiam suam non decurso luctus tempore, grandæuo equitis Romani filio Claudio
 t 3 Pompeiano

Insurrectione.

Hic locus prorsus est deprauatus.

Pompeiano dedit, genere Antiochenſi, nec ſatis nobili: quem poſtea bis conſu-
lem fecit, cum filia eius Auguſta eſſet & Auguſtæ filia. Sed has nuptias & Fau-
ſtina, & ipſa quæ dabatur inuita habuerunt. Cũ Mauri Hiſpanias propè omnes
uaſtarent, res per legatos bene geſtæ ſunt. Et cum per Aegyptum bucolicis mili-
tes grauiã multa feciſſent, per Auidium Caſſium reuſi ſunt, qui poſtea tyran-
nidem arripuit. Sub ipſis profectionis diebus in ſeſſu Præneſtino agens, filiũ
nomine Verum Cæſarẽ execto ſub aure tubere ſeptennẽ amiſit, quem nõ plus
quinq; diebus luxit: conſolatusq; etiam medicos, actibus publicis reddidit. Et
quia ludi Iouis optimi maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit, Iu-
ſitq; ut ſtatua tantũmodo filio mortuo decernerentur, & imago aurea Circen-
ſibus per pompã ferenda: & ut Saliari carmini nomẽ eius inferret. Inſtante ſanẽ
adhuc peſtilentia, & deorũ cultum diligentiffime reſtituit, & ſeruos quẽadmo-
dum bello Punico factum fuerat, ad militiam parauit, quos uoluntarios exem-
plo Volonũ appellauit. Armauit etiã gladiatores, quos obſequẽtes appellauit
latrones. Etiam Dalmatiæ atq; Dardaniæ milites fecit. armauit & Diocmitas:
emit & Germanorũ auxilia contra Germanos. Omni præterea diligentia para-
uit legiones ad Germanicũ & Marcomanicũ bellum: & ne prouincialibus eſſet
moleſtus, auctiõnerum aulicarũ, ut diximus, fecit in foro diui Traiani: in qua
præter uestes & pocula, & uafa aurea, etiã ſigna cum tabulis magnorũ artificũ
uẽdidit. Marcomannos in ipſo tranſitu Danubiũ deleuit, & prædam prouinciali-
bus reddidit. Gentes omnes ab Illyrici limine uſq; in Galliam conſpirauerant,
ut Marcomanni, Variſtæ, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Lacringes,
& Burei, hi aliq; cum Victuali, Soſibes, Sicobotes, Roxolani, Baſtarnæ, Alani,
Peutini, Coſtoboci. Imminebat & Parthicũ bellũ Britannicũ. Magno igitur la-
bore etiã ſuo, gentes aſperriſſimas uicũ, militibus ſeſe imitantibus, ducentibus etiã
exercitum legatis & præfectis pratorio. Accepitq; in deditiõne Marcomannos,
plurimis in Italiã traductis. Semper ſanẽ cum optimatibus, nõ ſolũ bellicas res,
ſed etiam ciuiles prius quã faceret aliquid, cõtulit. Deniq; ſententiã illius præ-
cipua ſemper hæc fuit, *AEQVIVS EST, VT* ego tot talium amicorũ conſiliũ
ſequar, quã ut tot tales amici meã unius uoluntatẽ ſequantur. Sanẽ quia durus
uidebatur ex philoſophiã inſtitutiõne Marcus ad militiæ labores atq; ad omnẽ
uitam, grauius carpebatur. Sed male loquentium dictis uel literis, uel ſermone
reſpondebat. Et multi nobiles bello Germanico ſiue Marcomannico, imo plu-
rimarum gentium interierunt. Quibus omnibus ſtatuas in foro Vlpio collo-
cauit. Quare amici frequenter ſuaſerunt, ut à bellis diſcederet, Romam ueniret.
Sed ille contẽpſit, ac perſtitit: nec prius reſceſſit, quã omnia bella finiret. Pro-
uincias ex proconſularibus conſulares, aut ex conſularibus proconſulares, aut
prætorias pro belli neceſſitate fecit. Res etiam in Sequanis turbatas, cenſura &
autoritate reſpreſſit. Compoſitæ res in Hiſpania quæ per Luſitaniam turbatæ
erant. Filio Commodo accerſito ad limitem, togam uirilem dedit: quare conſi-
arium populo diuiſit: & eum ante tempus conſularem deſignauit. Siquis un-
quã proſcriptus eſſet à præfecto urbi, non libenter accepit. Ipſe in largitiõ-
bus

Volones.

bus pecuniæ publicæ parcissimus fuit, quod laudi potius datur quam reprehensionis: sed tamen & bonis uiris pecunias dedit, & oppidis labentibus auxilium tulit. Et tributa uel uectigalia ubi necessitas cogebat, remisit. Absens populi Romani uoluptates curari uehementer præcepit per ditissimos æditores. Fuit enim populo hic sermo, cum sustulisset ad bellum gladiatores, quod populum sublati uoluptatibus uellet cogere ad philosophiam: iurasse enim ut ne mercimoni- am impedirent, tardius Pantomimos exhibere non uotis diebus. De amatis Pantomimis ab uxore fuit sermo, ut superius diximus. Sed hæc omnia per epistolas suas purgauit. Idem Marcus federi in ciuitatibus uetuit in equis siue uehicularis. lauacra mixta submouit, Mores matronarum composuit diffidentes. Et iuuenum nobilium sacra Serapidis à uulgaritate Pelosiæ summovit. Fama fuit sanè quod sub philosophorum specie quidam rempub. uexarent & priuatos, quod ille purgauit. Erat mos iste Antonino, ut omnia crimina minore supplicio quàm legibus plecti solent, punirent. Quàmuis nonnunquam contra manifestos & grauium criminum reos, inexorabilis permaneret. Capitales causas hominum honestorum ipse cognouit, & quidem summa æquitate, ita, ut prætorum reprehenderet, qui cito reorum causas audierat, Iubereq; illum iterum cognoscere, dignitatis eorum interesse dicens, ut ab eo audiretur, qui pro populo iudicaret. Aequitatem etiam circa captos hostes custodiuit. Infinitos ex gentibus in Romano solo collocauit. Fulmen de celo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluuia impetrata cum siti laborarent. Voluit Marcomanniam prouinciam, uoluit etiam Sarmatiam facere: & fecisset, nisi Auidius Cassius rebellasset sub eodem in oriète, qui imperatorē se appellauit: ut quidam dicunt, Faustina uolente, quæ de mariti ualitudine desperaret. Alij dicunt ementita morte Antonini, Cassium imperatorem se appellasse, cum diuum Marcum appellasset, & Antoninus quidem non est satis mutus. Defectione Cassij, nec eius affectus seni, sed per senatum hostis est iudicatus. Bonæque eius proscripita per ararium publicum. Relicto ergo Sarmatico Marcomannicoque bello, contra Cassium profectus est. Romæ turbæ etiam fuerunt, quasi Cassius absente Antonino aduentaret: sed Cassius statim interfectus est: caput eius allatum est ad Antoninum. Marcus tamen non exultauit in interfectione Cassij, caputque eius humari iussit. Metianum etiam filium Cassij cui Alexandria erat commissa, exercitus occidit: Nam & præfe. præto. sibi fecerat, qui & occisus est. In conscios defectionis uetuit senatum grauius iudicare: simul petijt ne quis senator tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur imperium. Eos etiam qui deportati fuerant, reuocari iussit: cum paucissimi centuriones capite essent puniti. Ignouit & ciuitatibus, quæ Cassio consenserant, ignouit Antiochenis, qui multa in Marcum pro Cassio dixerant: quibus & spectacula & conuentus publicos tulerat, & omnium concionum genus, contra quos edictum grauissimum misit. Seditiosos autem eos & oratio Marci indicat indita Mario Maximo: qua ille usus est apud amicos. Denique noluit Antiochiam uidere cum Syriam peteret.

Sermo.

Sermo, p r u
more seu fa-
bula.Forte, uindi-
care legēdū.

t 4 Nam

Nam nec Cyprum uoluit uidere, ex qua erat Cassius. Fuit Alexandria, clemēter cum ijs agens, postea tamen Antiochiam uidit. Multa egit cū regibus, & pacem confirmauit sibi occurrentibus cunctis regibus & legatis Persarū, omnibus orientalibus prouincijs charissimus fuit. Apud multas etiam philosophiæ uestigia reliquit. Apud Aegyptios ciuē se egit & philosophum in omnibus studijs, templis, locis. Et cū multa Alexandrini in Cassium dixissent fausta, tamen om̄ibus ignouit, & filiam suam apud eos reliquit. Faustina[m] suam in radicibus mōtis Tauri, in uico Halale exanimatā, subito morbo, amisit. Petijt à senatu, ut honores Faustinae adēncq; decernerent, laudata eadē, cum pudicitiae fama graui-ter laborasset, quae Antoninus uel nesciuit, uel dissimulauit. Nouas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuae. Diuam etiam Faustina[m] à senatu appellatam gratulatus est: quam secū & in aetiuis habuerat, ut matrē Castrorum appellaret. Fecit & coloniam uicum in quo obiit Faustina, & adē illi extruxit. Sed haec postea aedes Heliogabalo dedicata est. Ipsum Cassium pro demētia occidi passus est, non occidi iussit. Deportatus est Heliodorus filius Cassij, & alij liberum exilium acceperunt cum bonorum parte. Filij autem Cassij & Aurelius mediā partem acceperunt paterni patrimonij, & auro atq; argento adiuti, mulieres autem etiam ornāmētis, ita, ut Alexandria filia Cassij & Druncianus gener, liberam uagandi potestatem haberet, commendati amitae marito. Doluit deniq; Cassium extinctum, dicens, uoluisse se sine senatorio sanguine imperium transigere. Orientalibus rebus ordinatis, Athenis fuit, & in Italia Cereris templum adiit: ut se innocentem probaret, & sacrarium solum ingressus est. Reuertēs ad Italiam nauigio, tempestatem grauissimam passus est. Per Brundisium ueniens in Italiam, togam & ipse sumpsit, & milites togatos etiā iussit: nec unq; sagati fuerūt sub eo milites. Romā ut uenit, triumphauit. Exinde Lauiniū profectus est. Commodum deinde sibi collegam in Tribuniciam potestatem iunxit: cōgiarium populo dedit & spectacula mirifica: dein ciuilia multa correxit. Gladiatori muneris sumptus modum fecit. Sentētia Platonis semper in ore illius fuit, Florere ciuitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharēt. Filio suo Brutij Praesentis filiam iunxit, nuptijs celebratis exemplo priuatorū. Quare etiam congiarium dedit populo. Deinde ad conficiendum bellum conuersus, in administratione eius belli obiit, labentibus iam filij moribus ab instituto suo. Triennio bellum postea cum Marcomānis, Hermunduris, Sarmatis. Quadis etiam egit: & si anno uno superfuisset, prouincias ex his fecisset. Ante biduum quā expirasset, admissis amicis, dicitur ostendisse sententiam de filio eandem, quam Philippus de Alexandro, cum de hoc male sentiret, addens minime se aegre ferre filium superstitem relinquens: Nam iam Commodus turpē se & cruentum ostentabat. Mors autem talis fuit. Cum aegrotare coepisset, filium aduocauit, atq; ab eo primum petit, ut belli reliquias non contemneret, ne uideretur rempub. proderet: & cum filius ei respondisset, cupere se primum sanitatem, ut uellet, permisit. petens tamen, ut expectasset paucos dies, aut simul proficisceretur. Deinde abstinuit cibo potūq; mori cupiens, auxitq; morbum.

Sexta

Sexta die uocatis amicis, & ridens res humanas, mortē autē contemnēs, ad amicos dixit, Quid me fletis, & nō magis de pestilentia & cōmuni morte cogitatis? Et cum illi uellent recedere, ingemilcēs ait, Si iam me dimittitis, uale uobis dico, uos precedēs. Et cum ab eo quæreretur, cui filiū cōmendaret, ille respōdit, uobis, si dignus fuerit & dijs immortalibus. Exercitus cognita mala ualitudine uehementissime dolebant, quia illum unice amauerunt. Septimo die grauatus est, & solum filium admisit: quem statim dimisit, ne in eum morbus trāsiret. Dimisso filio, caput operuit quasi uolens dormire, sed nocte animā efflauit. Fertur filiū mori uoluisse, cum eum talē uideret futurū, qualis extitit post eius mortē, ne ut ipse dicebat similis Neroni, Caligulæ & Domitiano esset. Crimini ei datum est quod adulteros uxoris promouerit, Tertullū & Utiliū & Orphitum & Moderatū ad uarios honores: cū Tertullum etiā prandentē cum uxore deprehenderit: de quo mimus in scēna prasente Antonino dixit, cū stupidus nomen adulteri uxoris à seruo quæreret, & ille diceret, Tertullus: & adhuc stupidus quæreret, respondit ille, Iā tibi dixi, Tertullus dicitur. Et de hoc quidē multa populus, multa etiā alij dixerunt, patientiā Antonini incusantes. Ante tēpus sanē mortis priusq̄ ad bellum Marcomanicum rediret, in Capitolio iurauit nullum senatorē se sciēte occisum: cum etiā rebelliones dixerit se seruaturū fuisse, si scisset. Nihil em̄ magis & timuit & deprecatus est, quā avaritiæ famā: de qua se multis epistolis purgat. Dederunt & uitio, quod ei uictus fuisset, nec tā simplex, quā uideretur, aut quā uel Pius, uel Verus fuisset. Dederūt etiā crimini quod aulicā arrogantiam confirmauerit, submouēdo amicos à societate cōmuni & à cōiuijs. Parentibus consecrationē decreuit. Amicos parētum etiā mortuos statuis ornauit. Suffragatoribus nō cito credidit, sed semper diu quæsiuit quod erat uerum. Enisa est Fabia, ut Faustina mortua, in eius matrimoniū coiret: sed ille cōcubinā sibi asciiuit procuratoris uxoris suæ filiā, ne tot liberis superduceret nouercā.

Patientia, p
lenitate.

Fortasse, effi
ctus legēdū.

I V L I I C A P I T O L I N I

VERVS IMP.

A D D I O C L E T I A N V M
A V G V S T V M.

CIO plerosq̄ ita uitā Marci ac Veri, literis atq̄ historia dedicasse, ut priorē Verū intīmādū legētibus daret: nō imperandi secuti sunt ordinē, sed uiuēdi. Ego uero, quod prior Marcus imperare cœpit, deinde Verus, qui superstite periit Marco, priorem Marcum, dehinc Verum credidi celebrandum. Igitur L. Ceionius Aelius Cōmodus, Verus Antoninus, qui ex Hadriani uolūtate Aelius appellatus est, ex Antonini coniunctione Verus & Antoninus, neq̄ inter bonos, neq̄ inter malos principes ponitur, quem constat nō obruisse uitij

Opinor legē
dū obrutū
fuisse.

nec